



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Johannis Buxtorfi[i] Lexicon Hebraicum Et Chaldaicum

Buxtorf, Johann

Basileae, 1615

Generosiss. Et Illustribus Dominis, D. Adolpho, D. Arnoldo-Justo, D.
Guilhelmo-Henrico, Fratribus germanis, Comitibus in Bentheim,
Teckleburg, Steinfurt & Limpurg: Dominis in Rheda, Wefelinghoffen, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70128](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70128)



GENEROSISS. ET ILLU-
STRIBUS DOMINIS,

D. ADOLPHO,	} Fratribus germanis,
D. ARNOLDO-JUSTO,	
D. GUILHELMO-HENRICO,	

COMITIBUS in Bentheim, Teckleburg,
Steinfurt & Limpurg: DOMINIS in Rheda,
Weselinghoffen, Alpen & Helffenstein: LIB-
BARONIBUS in Lennep: PRÆ-
FECTIS hereditariis Colo-
niensium, &c.

Dominis suis clementiss. Gratiam &
Pacem à DEO precatur

JOHAN. BUXTORFIUS.

INTER infinita DEI clementis-
simi in Ecclesiam, cujus & Vos
Illustres & Generosiss. DD. Co-
mites, tutores estis, collata do-
na, Linguarum donum tantum
est, ut eo, tanquam medio accommodatissi-
mo, DEI vivi & veri, cæli terræq; creatoris,
ejusq; sanctissimi verbi cognitio inter gen-
tes infideles, ab Ecclesia & Republica Krae-

EPISTOLA

lis remotas, eruperit, propagata & conservata sit. Primitus enim DEI cognitio purior & perfectior, vigeat tantum in populo uno, circumscripta lingua una, nempe Hebraea in populo Hebraeo, quem solum Deus pro suo beneplacito, ex omnibus aliis mundi populis, in peculium sibi elegerat, & foedus gratiae, verbo scripto comprehensum, cum ipso inierat. Cum vero populus iste progressu temporis, majori ex parte perfidus & refractarius fieret, statuit Deus pertinacissimam populi malitiam & ingratitude offensus, foedus suum tantum in reliquiis fidelibus conservare, & in refractariorum locum exteris gentes assumere, easque ad sui agnitionem vocare. Hoc mediate factum, & quidem consilio DEI suspiciendo ac providentia admirabili. Subtraxit Judaeis immorigeris animarum pastores Prophetas, sustulit Reges tutores corporum, & conservatores tranquillitatis publicae. Inde res ipsorum coeperunt magis magisque pessimi ire, religio concidere, sectae irrumperere, cultus verus DEI labascere & in fictitium converti. Tunc nulla pax domi, horribilis exagitatio foris: rapiabantur, distrahebantur inter vicinas gentes, ac inter eas Aegyptiis & Graecis adeo familiares facti sunt, ut
& hinc

& hinc

DEDICATORIA.

& linguam Græcam singulari DEI consilio
addidicerint. Interea suscitatur DEUS ani-
mum Ptolomei, Aegyptiorum regis, quem
Philadelphum cognominarunt, ut cum es-
set omnium scientiarum & sapientium viro-
rum amantissimus & cupidissimus, ac ali-
quot centena millia librorum ex toto orbe
collegisset; res quoque Hebræorum sibi de-
scribi, ac maximè Legem ipsorū pernoscere
cuperet. Quid sit? impetrat ab Eleazare
summo Judæorum pontifice septuaginta
duos selectissimos viros, qui S. Scripturam
ex Hebræa in Græcam linguam ipsi transtu-
lerunt, idque circa annum 280, ante natum
Christum. Rex ingenti gaudio affectus, eos
re benè gesta, cum muneribus amplissimis
Hierosolymam remittit. Hic demum prima
fundamenta conversionis gentium infide-
lium ad DEUM jaciuntur; hinc cognitionis
DEI inter gentes sparguntur semina, quæ
paulatim in culmum assurgere, & postmo-
dum irrigante Christo & Apostolis, in sege-
tem uberrimam excrescere debebant: hinc
quæ ter mille & aliquot ceteros annos à cõ-
dito mundo gentes latuerant, communi &
longè lateque tum patente linguâ inno-
tescunt: hinc thesaurum salutis gentes acci-
piunt ab iis, qui eas abominabiles, & ne ter-

):(3

lis re
vata
rior &
lino,
bræa
Deu
munc
foedit
tum
progr
dus &
nacif
offen
fideli
locur
fui ag
ctum
ac pr
dæis
plicita
confe
res ip
sum i
cultu
conv
exagr
tur in
ptiis

EPISTOLA

ra quidem dignas antea judicaverant. Singulare scilicet hoc fuit DEI consilium, ut illi ipsi, qui Messiam, CHRISTUM DOMINUM, spreturi & rejecturi erant, CHRISTUM gentibus amplectendum manifesta- rent: ut Verbum, quod sibi solis à DEO con- creditum semper gloriati erant, nunc ultrò & fideliter cum gentibus communicarent, Scilicet, ut Eusebius scribit, ne si post Chri- sti adventum id faciendum fuisset, vel ex in- vidia, quâ erga Christum & Christo fiden- tes laborarunt, Sacram scripturam occul- tassent, vel corruptam dedissent, vel illo- rum, qui verisuri eam fuissent, fides dubia a- pud posteros semper mansisset. Quàm avidè autem ea acceptata, & latè divulgata fuerit, docent Christi tempora, quibus adeò in Ec- clesiis pervulgata erat, ut iam Verbum DEI planè ab Hebræis ad Græcos transisse vi- sum fuerit. Hæc itaq; Verbi divini inter gen- tiles, per translationem ex lingua Hebræa in linguam Græcam propagati, exoptata & salutaria fuere initia.

CHRISTO in plenitudine temporis mundo exhibito, ut DEI nomen celebre ab oriente in occidentem usq; redderetur, rur- sus beneficio linguarum opus fuit, ut Chri- stus cuiq; genti & nationi secundum suam linguam

DEDICATORIA.

linguam prædicaretur & innotesceret. Quo-
circa anno Christi xxxiv, in festo Pente-
costes Judæis ex omnibus nationibus Hierosolymis cōgregatis, ac diversis linguis u-
tentibus, Spiritus Sanctus in Apostolos
cælitus mittitur, & *cæperunt loqui aliis lin-
guis, prout Spiritus ille dabat eis effari*, ut est A-
ctor. 2. vers. 4, ita ut singulæ nationes eos suâ
linguâ loquentes, maximo cum stupore au-
dirent & intelligerent. Locuti etiam sunt
postea omnium istarum gentium linguis, ad
quas egressi sunt, ut Christum prædicarent.

Post Apostolos Verbum DEI scriptum,
Veteris quidem Testamenti, Septuaginta
interpretum Versione Græcâ, Novi autem
ab Evangelistis & Apostolis itidem Græcâ
linguâ comprehensum, in Ecclesiis populi
DEI permanet, cujus puritas beneficio lin-
guæ Hebraicæ conservata fuit.

Circa annum Christi cxxix. sub Im-
peratore Aelio Hadriano, *Aquila Ponticus*
ex gentili Christianus, ex Christiano Ju-
dæus factus, Judæorum linguam, id est, He-
braicam discit, ac de novo Vetus Testamen-
tum ex Hebræo in linguam Græcam trans-
fert. De hoc Hieron. in Epist. ad Pamma-
chium: *Aquila proselytus & contentiosus inter-
pres, non solum verba, sed etymologias verborum*

ra qu
gular
li ip
NUM
STU
rent:
cred
& fid
Scili
sti ad
vidia
tes l
tasse
rum,
pud
auter
doce
clefi
plan
sum
tiles
in lin
salut
C
mun
orien
sus b
stus

EPISTOLA

transferre conatus est, &c. Et com. in Iesaiam
cap. 4. De Aquila autem non miror, quod homo
eruditissimus lingua HEBRAICAE, & verbum
è verbo exprimens, &c.

ANNO Christi CLXXX. sub Imp. Com-
modo innotuit Theodotionis Pontici inter-
pretatio Græca, de qua Epiphanius lib. de
Menluris: Post hunc circa secundi Commodi re-
gnum, Theodotion quidam Ponticus, ex sectatori-
bus Marcionis haresiarche Sinopita, infensus &
ipse illius heresi, & ad Iudaismum declinans, &
circumciscus, & HEBRAEORUM linguam ipso-
rumq; elementa edoctus, privatim etiam ipse in-
terpretationem, & pleraq; consonanter cum Se-
ptuaginta duobus, edidit.

ANNO Christi CC. sub Imperatore Se-
vero, Symmachus à Samaritanis ad Judæos
in Christum credentes (appellantur Judæi,
quod circumcisionem retinerēt) deficiens,
novam Sacræ scripturæ interpretationem
Græcam edidit. De hoc Hieron. in cap. 32.
Jerem. scribit, quod non verbum ex ver-
bo, ut ante ipsum Aquila, sed sententias
sententiis juxta intelligentiæ ordinem ex-
presserit.

ANNO Christi CCXIX. Imper. Anton.
Caracalla, scribit Epiphanius, inventam
esse in urbe Jericho aliam Sacræ Scriptu-
ræ ex

DEDICATORIA.

ræ ex HEBRAEO in Græcum interpretatio-
nem, quæ *Quinta editio* appellata fuit.

ANNO Christi CCXXX denuo nova re-
perta est Interpretatio, quæ *Sexta editio* di-
cta, De hac Epiphanius citato libro: *Post hunc
regnavit Alexander filius Mamae annos tredecim:
in medio horum temporum inventa est Sexta
editio in Nicopoli ad Orientem sita,*

Origenes circa hæc tempora, studio confer-
vandæ Sacræ Scripturæ in Ecclesia addu-
ctus, conjūxit primū quatuor priores Græ-
cas, LXX, Aquilæ, Theodotionis & Sym-
machi, ita ut columnis oppositis sibi respon-
derent, eaque appellata fuere *Biblia tetrapla*.
Postmodum præmittens illis textum He-
braicum Hebraicis characteribus scriptum,
& eundem Græcis literis exaratum, appel-
lavit ea *Hexapla*. Denique cū inventæ es-
sent *Quinta* & *Sexta* editiones, eas quoque
prioribus, distinctis columnis, addidit, unde
emanarunt *Octopla*, ut Epiphanius dicto lo-
co prolixè explicat.

Circa Annum Christi CCC & paulò ulte-
rius, LXX Interpretū Translatio emenda-
ta fuit per *Lucianum martyrem* & *Hesychium*.
De his Hieronymus in præfat. lib. Paral. sic
scribit: *Alexandria & Aegyptus in Septuaginta
suis Hesychium laudat autorem: Constantinopo-*

EPISTOLA

his usq; Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat: media inter has provincia Palestinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus evulgarerunt, totusq; orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. De Luciano martyre scribit Eusebius: Ipse omnes libros sacros rursus sumpsit, & ex lingua renovavit HEBRAICA, quam ipsam sciebat quoque accuratissime, in eis corrigendis plurimum laboris conferens.

Circa annum Christi cccc. Hieronymus Stridonensis, omnium Christianorum primus, cum ante viginti annos Hierosolymis à Judæis linguam Hebræam discere cœpisset, Biblia Hebræa in linguam Latinam translulit, & in occidentales Ecclesias Verbum DEI propagavit. Translatio ipsius longè lateq; ab Ecclesiis acceptata fuit. Post Hieronymi tempora studium linguarum sacrarum diu cessasse videtur: unde non tantum Translatio ipsius graviores depravationes passa est, quàm nunquam antea Biblia Græca, (quæ subinde suos cultores & restauratores habuere) sed & in univèrsa doctrina Ecclesiæ, horrendæ tenebræ obortæ sunt, quæ ad mille ferè annos durarunt.

ANNO Christi M. cccc. Nicolaus Lyranus Hebraicè peritissimus, Biblia Latina commenta-

DEDICATORIA.

mentariis quidem illustravit, at de textu Latino cum fonte Hebræo conferendo, parum aut nihil ab eo tentatum est.

Tandem DEUS clementer Ecclesiæ suæ misertus, excitavit circa annum M D. linguarum studiosissimos & peritissimos viros, qui turbatorum lacuum pertæsi, Scripturam sacram ex fontibus Hebræis abluerunt, eamque vero suo nitori restituere, agminatim conati sunt.

ANNO Christi M D X V. in Hispania prodiit insigne *Opus Biblicum Complutense*, studio *Francisci Simeni*, Archiepiscopi Toletani.

Sequenti anno, editum est in Italia *Psalterium Octoplū*, Hebraicè, Græcè, Arabicè, Chaldaicè, cum tribus versionib. Latinis, & commentario ex Hebræis potissimum Scriptoribus elaborato, per Aug. *Justinianum Genuensem*, Episcopum Nebiensem.

ANNO Christi M D X X V I I I. in Gallia *Sanctus Pagninus Lucensis* post Hieronymum primus, Biblia Hebræa integra in Latinum fidelissimè convertit.

ANNO M. D X X X I V. in Germania *Sebastianus Munsterus*, & paulò post, *Sebastianus Castalio*, similiter magna fide & diligentia Biblia Hebræa Latinè interpretati sunt.

EPISTOLA

ANNO M. D. XLIII. prodiit Versio Latina Leonis Juda, Theologi Tigurini, religionē & fide summā elaborata.

AN. MDLXVIII. infecuta sunt *Biblia Regia Hispanica*, Hebraica, Chaldaica, & Græca, cum totidem Latinis versionibus, studio incredibili, labore & diligentia admirabili, ac laude Regis sempiternā, per Ariam Montanum adornata.

Postremò viri incomparabiles *Immanuel Tremelius* & *Franciscus Junius*, suam quoque Versionem, perpetuis textus notis diligentissimè illustratā, ecclesię exhibuerūt. Præter hosce publicos in universam ecclesiam redundātes labores, privatim etiā singulæ penè nationes in sua lingua vernacula, Versiones biblicas hoc seculo consecutæ sunt.

Vidimus Verbum DEI per beneficiū cognitionis, linguæ Hebraicæ inde à tempore LXX Interpretū, à trib. sc. fermè seculis antenatum Christum, in sua puritate conservatum, aut cū longinquitate temporis & liberiorum incuriā depravatū esset, ad suā puritatem, quantum quidem divina gratia humanæ concessit industriæ, ad hæc usq; tempora reductū esse. Quāta itaq; laude digni sunt etiam illi, qui studium Hebraicum inter Christianos illustrarunt & propagarūt? Inter
hos

D E D I C A T O R I A .

hos post Hieronymi tēpora; Christianorum primus fuit *Johannes Capnon* Phortzēsis vulgò *Reuchlin* dictus, U. J. D. & Maxim. Imperatoris ac Eberhardi primi Wirtebergenſis Ducis cōſiliarius, & totius Suevię triumvir. Hic An. Chriſti 1494 edidit librum de Verbo miſifico, arcanā Hebræorū ſapientiā referunt: An. 1506 Grammaticam & Lexicon Hebraicum, & decēnio poſt, Libros tres de arte Cabaliſtica. Hunc attigerunt in Hispania *Petrus Galatinus*: in Italia *Felix Pratensis*, *Daniel Bombergius*; *Elias Levita* Judæus Germanus Romæ tūc dēgens: in Gallia *Santes Pagninus*; *Postellus*, *Vatablus*: Subſecuti ſunt *Mercerus*, *Ornelius Bertranus*, *Cephalerius*: in Germania *Sebaſtianus Munſterus*, *Johannes Forſterus*, *Paulus Fagius*, *Joh. Avenarius* & plurimi alii, qui vel Pręceptis vel Lexicis, vel utroq; Hebraicum ſtūdium mirum in modū propagarunt. Adeo potens iſto ſeculo fuit DEI erga Eccleſiam ſuam gratia, ad tam denſas mille annorum tenebras diſcutiendas & proſtigandas;

Jam verò, ut ad Vos Illuſtres & Generoſiſs. DD. Comites, propiùs ſermonem dirigam; eū divini providentię placuerit, me ex omnib. minimū, ad docēdam linguā Hebræam in celeberrima Baſileenſi Academia vocare; ſtudui pro virib. Spartam noctam exornare;

EPISTOLA

& assiduitate augere. Etsi autem meæ mihi
 tenuitatis in hisce studiis probè cōsciū sim,
 tamen monente Apostolo, *Ut quisque accepit
 donum, ita alius in aliū illud ministrantes, boni
 estote dispēsatores variæ DEI gratiæ, 1. Pet. 4. 10.*
 volui quoq; qualiacūq; dona mihi ex gratia
 concessa, ad publicam utilitatem conferre.
 Adornavi nunc secundò breve hoc Lexicon
 Hebraicum & Chaldaicum ad usum Studio
 rum Theologiæ, qui magnæ molis libros
 circumferre nequeunt. In ea voces omnes
 Veteris Testamēti, quatenus illud Hebraicò
 & ex parte Chaldaicè conscri ptū est, fidâ cu
 râ explicātur. Non pauca etiam loca obscura
 & difficilia illustrantur. In subsidiū adhibui
 Chaldeos & Hebræos interpretes, priscos &
 recētiore, quotquot mihi illorum copia esse
 potuit. Ex illorum authoritate quàm sæpissi
 mē lux infertur locis ab interpretib, diverfi
 modè redditis. Adjeci etiam nunc specimen
 quoddam brevissimi *Lexici Rabbini-co-philoso
 phici*, in quo communiora vocabula, quæ
 extra biblicum usum, in doctissimis Rabbi
 norum Commentariis, passim occurrūt, La
 tinè explicātur. Hæc etsi brevia, multum ta
 men subsidiū allatura sunt illis, qui illud
 Scriptorum genus juxtâ libare tentaverint.
 Huncce meum laborem qualemcunque
Vobis,

DEDICATORIA.

Vobis, Generosissimi DD. Comites, iterum inscribere & dedicare volui, tum, ut esset testimonium publicum memoris & grati mei animi, pro favore summo ac singulari multiplicique benevolentia & clementia erga me vestra, quam sæpius expertus sum: tum quoniam divina clementia Vobis dedit, ut sitis in eorum numero, qui Ecclesiæ & Scholarum, fidi & liberales dicuntur & sunt nutritii: qua virtute quæ major in principe & in eminentia constituto Dominatore esse potest? Præclarum profectò κατὰ φύσιν per Inclytum Parentem vestrum D. ARNOLDUM bened. mem. Filius DEI præstitit, quòd sublato in sublime VERITATIS VEXILLO Ecclesiam inter tot turbas & immânia rerum discrimina reformarit, & illustrem Scholam Steinfurtanã, inter tot hostiles incursiones, direptiones, depopulationes prudenter fundarit, liberaliter ornarit, feliciterq; erexerit: Eo nõ tantũ pietatis in DEUM, & fidei in patriam fidosq; ac charos patriæ accolas, sed & benevolentia erga externos remotiores, testimonium editum est luculentissimum. Vigent enim illic nunc varia doctrinæ erudita studia, aluntur in præcipuis Scientiis viri Clarissimi & Doctissimi, affluunt un-

& a
tenu
tam
don
mes
volu
con
Ad
Heb
for
circ
Vet
& e
rà e
& d
Ch
rec
pot
mè
mo
qu
soph
ext
nor
tin
me
Sc
Hu

EPISTOLA

diq; Juvenes & Studiosi literarum flagrantissimi. Audivi, vidi, novi, qui non tantum ex hisce Helvetiæ partib. sed & ex aliis nationibus inde redeuntibus, liberales studiorum fructus illic acquisitos prædicarent. Hanc laudem Pietate fundatam, in longinquum profitebitur subsequutura posteritas. Quare cum Vos ipsi Generosiss. Comites, variarum linguarum & rerum cognitione optimè imbuti, ad pietatis & doctrinarum præclara studia conservanda, cum Paterna institutione, tum proprio pietatis zelo, summè propensissimis, optimam spem concipio, fore ut & hosce meos conatus ad studium Theologiæ, quod in vera intelligentia Verbi divini lingua Hebræa & Græca conscripti, fundamentum habet, promovendum, benignè & clementer approbaturi sitis. Quod cum de Vobis intellexero, abundè magnum horum studiorum fructum consecutus videbor. Oro autem Filium DEI, Jesum Christum, ut det Vobis diu videre Terram vestram Pace, Cõcordiã, Religione, Disciplinã florentem, ad DEI gloriam & Ecclesiæ bonum. Scripsi Basileæ 14 Feb. Anno Domini

MDCXV.

JOHANNES